



OBSERVATIO II.

De diplomatis tertii auctore, Sigfrido, Archipraefule Moguntino.

Sigfridus, tertii diplomatis conditor, est *secundus* huius nominis Archiepiscopus Moguntiacus. *Conrado I.* Archipraefule anno MCC. vita functo omnia capituli membra praeter tria eligebant *Lupoldum*, Episc. Wormatiensem, tria illa dissentientia autem hunc *Sigfridum*. 1) Quia vero illius electio praesente instiganteque Imperatore *Philippo* facta, ideo hic vsque in annum MCCVIII. quo *Philippus* Babenbergae infando scelere occisus, ad Archipraefulatus administrationem peruenire haud potuit, sed exsul Romae atque alibi vixit, donec auxilio *Ottonis IV.* Imp. ipsi contra *Lupoldum* fauentis, in Archiepiscopatum *anno* modo memorato introductus. 2) Semper tamen, quod et in diplomate nostro factum, annos Pontificatus sui a tempore electionis suae computauit. Nec hic *Adelberto I.* fuit absimilis in eo, quod illum, cui ob Archiepiscopatum vere obtentum plurimum debebat, postea inimice insectabatur; ipse enim fulmen excommunicationis, quod *Innocentius III.* in *Ottonem*, Jura et possessiones Imperii vindicantem 3), vibrauerat, in omni Germania disseminauit, quid? quod *Premislaum II.* Regem Bohemiae, *Hermannum*, Thuringiae Comitem prouincialem, aliosque, vt *Fridericum*, *Henrici VI.* filium, Imperatorem *Ottonis* loco crearent, instigauit. 4) Neque *Adelberto* *Sigfridus* minus fuit fallax, cuius rei testimonium vel ipsae perhibent eius litterae a nobis productae; etenim quis non videt fallaciam, cuius vsu conuentum Ettersburgensem in fauorem *Conradi*
Praepo-

1) Abb. Vrsperg. ad a. 1191. p. m. 309.

2) Godefrid. Colon. ad a. 1208. ap. Freher. S. R. G. T. I. p. 378. edit. Struv.

3) Matth. Paris. p. 160. edit. Lond. de a. 1640. Conf. quoque celeb. Schmidt Hist. Germanor. P. II. p. 631.

4) Godefrid. Colon. ad a. 1211. ap. Freher. l. c. p. 381.